



7,2<sup>a</sup>

4,12

2.9.0.

38      34

ORATIO  
IN LAUDEM  
**FRIDERICI IV.**  
SUPREMI DUCIS SLES-  
VICENSIS,  
DUCIS HOLSATIÆ &c. &c.

Die V. Martii,  
qui Augusto Ejus Nomini in fastis  
facer erat,

recitata

IN ACADEMIA KILONIENSI  
ANNO MDCCL.

a

CAROLO JOHANNE SIGTUNIO  
Vesmannia-Sveco.

K I L O N I .

Literis BARTHOLDI REUTERI, Academ. Typogr.

24

Erreder post oceani Anno MDCXCV  
Justus et Iacobus fratres  
Clementius et Petrus  
Scripimus in scriptorio  
Ex voto dudo  
Vita Co  
Sicco Gratia  
Dicitur in latere  
**FREIDERICIA.**

SUPEREMI DUCIS STEB.

Spem  
Uicensis  
Ducis  
Hortulie &c ec  
Et sum  
Et ma  
Re  
lucte erit  
In  
Anno MDCCL

In acciduntiacionis  
anno MDCCL

Carolo Johanne Sietnino  
Ad  
Perfum

Kroni L  
Felicis DUCIS FELICITATIS  
Aegidius Teller

Porti) Eberhardi, Rector

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO,**  
HEREDI NORWEGIÆ,  
SUPREMO DUCI SLESVI-  
CENCI, DUCI HOLSATIÆ, STOR-  
MARIÆ ET DITHMARSIÆ, COMITI OLDEN-  
BURGI ET DELMENHORSTI,  
**PRINCIPI OPTIMO,**  
**PATRIÆ PATRI,**  
**FORTI, FELICI, PACIFICO.**

HANC ORATIONEM,  
IPSO DIE AUGUSTO EJUS NO-  
MINI DICATO,  
PUBLICHE HABITAM,  
*DEVOTISSIMO SUBMISSIMA MENTIS CULTU*  
SACRAM ESSE VULT,

SERENITATI EJUS

PATRIÆ PATRI

*subjectissimus servus*

CAROLUS JOHANNES SIGTUNIUS.



Multumq[ue] Afriq[ue] & Europaq[ue] munere  
centiliumq[ue] libbatoq[ue] summa. Cum enim poeisie  
Iopis ac Luidivisq[ue] Cyprius q[ue]cunq[ue] illuxerit.

**N**on dubito, plerosque Vestrum miraturos, cur juvenis ego, qui neque ingenio, neque eruditione, neque autoritate usuque valeo, in vestrum conspectum concionemque prodire ausus sim? Venerum si instituti hujus mei rationem cognoveritis, nil plane praeter rem aut consuetudinem hic me fecisse, facile intelligetis. Aliorū quippe edictus exemplo, laudatissimorum commilitonum vestigijs insistere decrevi, ratus, me hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, per favorem vestrum prohiberi non posse. Unicum nimurum FRIDERICI nomen est, cuius & gloria & augustus splendor tantos intus in animo meo concitavit motus, ut continere me non potuerim, quo minus erumperem in publicum, & hanc consenderem cathedram, flagrantif-

B

simum

sumum pietatis meæ affectum Serenissimo  
Principi, FRIDERICO, Heredi Norwegiæ,  
Supremo Duci Slesvicensi, Duci Holsatiæ,  
Størmarie & Dithmarsiæ, Academiæ hujus  
Nutritori, Altori, & Conservatori munifi-  
centissimo approbatus. Cum enim hodie  
nobis ac universæ Cimbriæ felici sidere illuxerit  
dies, auspicatissimo ILLIUS nomine insignitus,  
inter festas faustasque omnium acclama-  
tiones, & ipse, quamvis exterus, nulli tamen  
indigenarum civium sinceritate atque obsequi  
religione secundus, hanc EI lucem gratulari  
mecum constitui, quæ nemini non grati-  
ssima accidit & exoptata. Sed quis pavor, qui  
horror subito me invadit, cum divinam tan-  
ti Principis imaginem hic suspensam vene-  
rabundus contemplor, In cuius ora cunctorum  
oculos atque aspectus video esse con-  
versos. Ea scilicet ex vultu ILLIUS exsplen-  
descit majestas, ut ipsi etiam Demostheni vel  
Tullio Romano terrorem incutere, atque adeo  
silentium imperare ex facili queat. O  
faciem verè augustam! ô civium delitium!  
ô decus Principum! ô beati sæculi incremen-  
tum, non sine summa animi submissione admirandum!  
Erumpat ergo illa vox, quam hæ-  
sitan-

sitantem & provocat & evocat spectatissima  
Tua, ô FRIDERICE, fortitudo, dotesque  
prorsus incomparabiles. Quâ vero ratione  
laudes illas Tibi omni jure debitas exprimam  
ego, nulla dicendi peritia instructus, quas nul-  
lus mortalium numerus ita perfecte compre-  
hendere valet, quin omnibus numeris sint  
absolutiores. Nec ulli quoque Poëtarum,  
licet ingenio arteque excellentissimorum,  
immensam Heroicarum Virtutum Tuarum  
pedibus metiri possunt magnitudinem, nisi  
suo se metiri pede negligant. Celsissimus il-  
le Tuus animus, quasi circulus quidam est,  
quem tuidem ad ignobiliorum formam tra-  
ducere frustra connisi sunt multi, semper in se  
rediens, semper sibi similis, nec angulo exce-  
dens, nec sinui cuidam impressus. Volvitur  
hæc immortalis Genii Tui sphæra super fixo  
& stabili rationis axe, Divini Numinis amo-  
rem pro solo habens, virtutum omnium com-  
plexum pro stellis. Quarum quidem perfe-  
ctio tanta in Tua celsitudine appareat, ut ne um-  
bram quidem alicajus vitii irrepere patiatur.  
Tu, CLEMENTISSIME DOMINE, ad il-  
lud gloriæ processisti fastigium, ut nec possit  
Tibi quis adulari, etiamsi velit, quin, cum ni-  
mium

mium dixisse videatur, parum dixerit. Tanta enim virtutum Tuarum est multitudo, ut non possit sterilis omnino & infacundus esse Orator; tantus splendor, ut ipsi orationi quasi lucem afferat, ne eam solis verborum luminibus illustrare necessum sit; tanta denique magnificentia, ut nihil de illis humile, nihil vulgare dici possit, nullaque in sermone oboritura egestas sit, etiamsi non aliunde earum amplificatio, quam à simplici narratione ducatur. Accipe ergo, INDULGEN-  
TISSIME DOMINE, servi tui verba, quæ pietas expressit, quæque Tibi in grati animi pignus offero. Quæ licet non respondeant cœlestis Genii Tui indoli, cogita, & in Apel-  
læa aliquando tabula peccare Veneris sandalium.

Tu, certe, ô PRINCEPS OPTIME, quod totus admiretur orbis, quod postera sœcula celebrent, cunctorum vota & desideria implet. Quanta hæc pietas! Tu quæ olim temporum difficultas impedivit consilia, ea cum stupore omnium nuper es exsecutus. Quanta felicitas! Tu populi Tui & Rector & Doctor sapientiæ sacraria omnibus patescere finis. Quanta munificentia! Tu, ut brevibus  
muli-

multa dicam, de omnibus ac singulis bene-  
mereri studies. Quanta hæc gloria! Mihi  
sane benigniori quodam fato ad hanc ipsam  
natus videris & destinatus, ut nempe vivus  
vidensque tanquam beneficium aliquod nu-  
men summo Tuo merito salutareris, & jam  
ante mortem audires immortalis. Dum et  
nim aliis in locis inopes moerentesque Mu-  
fæ nostræ parum benignè excipiuntur, Tu  
liberalibus eas impensis alis, foves, excitas.  
Dum plurimi hodie tam averso à literis sunt  
animo, ut in earum perniciem qvæsi con-  
jurasse videantur, Tu eas, a contemtu vindi-  
catas, magis magisque attollis, ut sub Te no-  
vum spiritum, novum vigorem recipient.  
Floret scilicet hic sub firmissimo Tuo præsi-  
dio officina qvædam statuaria, in qua Cim-  
briæ tuæ præstantissimæ qvotidie sculpun-  
tur virtutum imagines. Cumq; Holsatia olim  
à lignis atqve lapidibus dicta esse perhibeatur,  
sunt hic Phidiæ & Polycleti, qvi è qvavis  
vis etiam ligno doctam formare student Pall-  
adem; sunt Deucaliones, qvi omnem mo-  
vent lapidem, ut lapidibus iſtis humana in-  
ducatur forma; sunt & Praxiteles, qvi è du-  
rissimo metallo simulachra scalpunt qvavis

C

cera

cera molliora, qvibus deinceps varia disciplinarum genera imprimantur. Insuper & Chemicā hic fervet officina, in qva plumbea & ferrea hominum ingenia transformantur in aurea, & efficacissimis sapientiæ pharmacis mortalium vita redditur immortalis. Si enim, teste Seneca, vita sine literis mors est, & viva hominis sepultura: qvidni soli literati verè vivere censendi sunt? Freqventatur & hic palaestra non Martis, sed artis, ubi non homines sagati, sanguine rubentes, sed mansueti ac candidi togatæ Minervæ milites procedunt; ubi non ad vallum vigilatur, sed ad pluteum aguntur excubiæ; ubi non sub armorum sed librorum sudatur mole. Progerminat hic, veluti in sacratissimo Pygmalionis luce, oliva illa aurea, numerosissimis pretiosissimisque omnis generis doctrinarum fructibus referta. Quidam imo terrestre qvoddam cœlum in Tuis, SERENISSIME DOMINE, conspicitur terris, in qvo Tu, tanquam splendidus qvidam Sol, regiones Tibi subjectas perpetuis clementiæ radiis impletas, reficias, ac illustras, nec possunt Tui sine tanti Solis beneficio florere cum vere, nec messes dare cum æstate, nec fructus col-

colligere cum autumno, nec semina denique fovere cum hieme. Procul autem hinc faceſſere jubes infausta ſidera, cometas, ignes fatuos, capras saltantes, dracones volantes, aliaque pulcherrimi iſtius orbis Tui dedecora, ne benignum Tuum, qvem intutos qvotidie diſpergiſ, ſplendorem impediāt. Nam Tua ſolum lux eſt, qvæ präſenti ſua ef-ſicacia annis nomina, incolis aufſicia, prouinciis fata ac felicitatem diſpenſat. Hanc ergo fuſpicere, eſt nova qvotidie auguria ſalutis captare; hanc venerari, eſt bonam for- tunam propitiare. Junctum præterea Tibi habes alterum illud patriæ noſtræ lumen, **HEDWIGEN SOPHIAM**, qvæ & ipſa be- nigniſſimo obtutu ſuam beat recreatqve Cimbriam. In hac, tanqvam contigua ima- gine fulgorem Tuum geminas, qvali fere inter ſidera neceſſitudine Sol nitorem ſuum Lunæ affundere, Luna Soli amat refundere. O qvam felix, ô qvam fecunda coniunctio, ex qva incrediſili omnium lætitia nova nu- per accenſa nobis lux eſt, qvæ omnium in ſeſe ſpem animosqve convertit, principaliq; do- mui perpetui ſplendoris ſucceſſionem pro- mittit. Atqve hoc eſt **Illuſtrissimum illud Par,**

Au-

Auditores, cuius tam late diffunditur gloria, ut nullis terrarum regionumque distin-  
ri possit spatiis, cum præcipuorum siderum  
ignes fulgore suo provocet, nobilitate supe-  
ret. Quidquid est apicum ac titulorum, quid-  
quid prætextarum ac trabearum, id omne il-  
lud longè multumque antecedit. Frustra  
vestes palmatæ, frustra triumphales currus,  
frustra stupendæ operum substructiones in-  
comparationem Principalis hujus Paris ad-  
ducentur, cuius origo divina, forma cœlestis,  
majestas sacrosancta, virtus demum inviola-  
bilis. Quid, qvod tam splendidi sunt augu-  
storum horum lumen radii, ut eos videa-  
mus quidem, sed videndo pene hebescamus?

Qynta vero Tua, ô FRIDERICE, ad  
quem mea in hoc animorum exsultantium  
motu potissimum dirigitur oratio, qvanta,  
inqvam, Tua est sublimitas, qva privatarum  
mentium humilitatem planè supergrederis?  
Sanè si olim Lysimachus occupata Thracia  
cœlum se hastæ cuspipe contingere gloria-  
batur: Tu non hastæ cuspipe, non vertice  
cœlum ferire, sed ipsis pedibus qvafsi calca-  
re mihi videris. Et tanta tamen animi Tui  
est generositas, ut maximæ Tibi ducas glo-  
riae,

-LIA

riæ, si ab excelsø illo fastigio Tuonos, humili  
dejectos proprius respicias. Jaclitet nunc  
Cæsar, qvod tot hominum millia ferro flam-  
maqve extinxerit; efferat se Pompejus Ma-  
gnus, qvod mille & qvingenta oppida cepe-  
rit ac castella: Tu FRIDERICE, verè FRI-  
DERICUM, hoc est pacificum Te nobis nu-  
per exhibuisti, dum non cruentam illam glo-  
riam sectatus es, qvæ occiforum hominum  
multitudine comparatur, sed eò potius di-  
rexisti consilia Tua, ut cives haberes inco-  
lumes, atqve à periculis damnisqve immu-  
nes. Solus amor patriæ affectum vicit om-  
nium vehementissimum, vindictæ cupidini-  
m, immanem illam beluam, qvâ nulla fe-  
re perniciſor humano generi extitit pestis.  
Cum enim sapientissimè judicasses, in diver-  
sum felicitatem populi Tui & justitiam ultio-  
nis discedere, in illam libentissimè descen-  
disti partem, qvæ in pio pectore Tuo for-  
tior elucebat. Nil tibi tam firmiter erat pro-  
positum, qvam salus Tuorum & omnium in-  
columitas, qvam ut obtineres, omnes omni-  
no intendebas curas. Idcirco bellum, cum  
declinare non posses, & fuscipiebas pruden-  
ter, & persequebaris fortiter, & conficiebas

D

feli-

feliciter. Nullus erat labor tam molestus,  
qvem non sustineres; nullum periculum tam  
magnum ac grave , qvod non invicto con-  
stantiqve animo contemneres; nec ullum i-  
ter tam difficile, quod non communis utilita-  
tis caufsa ingredereris. Summam enim vo-  
torum Tuorum invenisse Te credebas, si se-  
curos salvosque præstares eos, qvi Tuo regi-  
mini sunt subiecti. Extra si quæ blandimenta  
offerrentur crudelis victoriæ, non Te dimo-  
vebant à proposito , quin vindictam poti-  
us vincere studeres , quam ipsum hostem.  
Nimirum vulgaris ac plebeiarum mentium  
fortem esse noveras , surgendo crescere.  
Hinc qui jam in cunis magnus eras, nec vo-  
luisti, nec potuisti major fieri, nisi Te de-  
mittendo , parcendoque magis , quam de-  
bellando, ut non tam de fulo hostium san-  
guine, quam de servata Tuorum salute tri-  
umphares. Quibus fanè rebus id consecutus  
es, ut nunc communi omnium suffraga-  
tione jure Tuo meritoque Patriæ voceris Pa-  
ter. Te namq; cum Principem ac Dominum  
suum salutent Cimbri in procurandis suis  
commodis, in avertendis incommodis be-  
nignissimum omnes Patrem experiuntur.

Non-

Nondum effluxisse arbitror animis vestris,  
Auditores, quantum in illorum animis exci-  
tatum fuerit gaudium, quanta exorta gratu-  
lacio, cum ipsorum caussa FRIDERICUS hic  
noster consentiret in pacem, quam concilia-  
tores summorum Principum sanciebant, sic  
que compositis, qui miseram Cimbriam ja-  
ctabant, fluctibus, optatam restitueret tran-  
qvillitatem. Plus scilicet decoris sibi affer-  
re existimabat, si sine multorum cæde perfice-  
ret destinata, quam si aliorum nece ac inte-  
ritu delectaretur. Hacqve virtute, tanquam  
præcipua in Principe ac ferme prima, non se-  
cus ac vinculo quodam cæteras omnes tam  
arcte sibi obligavit, ut veluti nodo quodam  
Gordio invicem connexæ, nullius, nec ipsi-  
us etiam Alexandri gladio dissolvi possint ac  
divelli.

Sed dies me desiceret, Auditores, si eas  
non dicam prædicando, sed enumerando  
persequi conarer, cum infinitus propemo-  
dum earum sit numerus. In iis autem fla-  
tim mihi memoranda occurrit insignis illa  
& prorsus singularis, qua suis se commendat,  
comitas. Quemadmodum enim amplissi-  
mus terrarum orbis in angustam compingi-  
tur

tur chartam, qvo distin<sup>c</sup>tius in hominum oculos incurrat: ita Noster à prima usque adolescentia didicit minor fieri, nullo dignitatis suæ detimento , ut Eum ferre possent oculi imbecilles. Qvæ incredibilis Eius humanitas tantum in civium animis amorem excitavit & reverentiam, ut nullum nec tu<sup>t</sup>ius nec firmius ab armis præsidium, qvam ab illorum voluntate Ipsi sit expectandum. O admirandam Principis facilitatem ! ô benignitatem omnibus modis extollendam! Raro eqvidem magnæ fortunæ fastigium solet esse sine fastu , Noster tamen majestati humanitatem felici qvæsi connubio junxit, non minus hominem se, qvam hominibus præcessere reputans. Qvocirca tam sui ipsius potens est, qvam sui imperii, tantoqve ascendiit altius, qvanto ad civium suorum vota descendit proprius. Nemini non ad eum patet aditus; tam ille comes est! Qvisqvis ad eum accedit, nunquam tristis ab eo fere recedit ; tam est benignus! Ut autem res secundas moderatè, ita adversas contra fortiter ferre didicit, pyramidisqve instar, sive spiraverit Favonius, sive creber procellis Africus, suo docet exemplo , non Philoso-

103

pho-

phorum modo, sed Heroum etiam esse, nec  
secundis flecti, nec adversis frangi.

Qvis autem divinam illam mentem Tuam,  
Ô Maxime FRIDERICE, nobis depinget?  
Qvis reliqvas Celsitudinis Tuæ dotes, qvibus  
vulgus humumque nostram superemines,  
nobis describet omnes? Nimirum ut cœlum  
continuo agitatur motu, ut mare perpetuis  
æstibus est inquietum, ut sol orbem cursu  
suo semper circumit, ita animus Tuus arduis  
gravissimisque intentus curis, nunquam ces-  
sat, nunquam quiescit, sed in otio quoque  
negotiosus est, nullumque prætermittit di-  
em, quo non Heroicas suas exferat virtutes.  
Cum enim pœnitendorum successuum ma-  
ter temeritas multis assideat gubernaculis;  
Tibi individuarum comitum instar adsistunt  
optimarum artium præceptrices, Pietas &  
Prudentia. Quæ muta est in terris Themis,  
Tuo ore loquitur; quæq; cæca est, Tuis ocu-  
lis videt. Inprimis vero amas illos, qui hanc  
è terris profugam de cœlo reducunt, gra-  
vissimos scilicet Consiliarios, quibus aures  
non tantam das, sed & linguam, animos &  
manus. Itaque & justitiae assertorem, & in-  
nocentiaz vindicem, & miserorum patronum,

E

&

& bonorum omnium defensorem fama Te  
canit, intuentur incolæ, admirantur pere-  
grini, posteri suspicient. Omnibus enim,  
sontibus juxta ac insontibus, ex æquo jus  
dicas; omnes audis; omnium excepis desi-  
deria cum nullius fastidio, nec Te à via recti  
vel gratiâ, vel potentia, vel largitione, vel  
calumniis deflecti pateris. Qvæ cum ita sint,  
qvis magnopere miretur, qvod tuo exemplo  
tam bonos formes cives, tuisqve moribus  
tam præclaram illis præscribas vivendi nor-  
mam. Qvandoqvidem tam incongruum  
Tibi videtur, Principem solutum esse legi-  
bus, qvam in dirigendo navis cursu gubern-  
atorem carere gubernaculo. Qvinimò qvia  
Princeps es, vivis secundum leges, nec aliter  
Te Principem esse posse credis, qvi vivum  
legis exemplum & idea vis haberi. Proscri-  
bitur plerumqve hodie ab aulis veritas, Tu  
verò eandem in lucem protrahis, & qvia  
Serenissimus es, serenam amas veritatem.  
Odisti noctuas illas, qvæ illam fugiunt, odi-  
sti vespertilioes, qvi illam averfuatur, nec  
admittis etiam vertumnos, qvi ut vestitum  
ita & sententiam habent, aliam domesticam,  
aliam forensem, & qvasi rotæ figulorum in  
omnes

omnes convertuntur partes. Nihil enim ad Te pertinere arbitraris, præter conscientiam & rerum benè gestarum gloriam, virtutisqve actione contentus, famam Tuam factis, qvam aliorum præconiis lenociniisqve assentatorum reddere mavis conspicuam. O laudem verè Regiam, & certissimum boni Principis argumentum!

Magna hæc qvidem, fateor, sunt, Auditores qvæ audivisti: multo tamen majora, qvæ se mihi porro dicenda offerunt. Qvæ si qvis eorum, qvi dicendo scribendoqve præ cæteris valent, explicanda sibi, & oratione tantis rebus digna illustranda sumeret, Deus bone, qvam multa, qvam præclara, qvam justa de insitata Principis nostri clementia, de incredibili animi magnitudine, de indefesso labore & constantia, reliqvisqve omnibus, qvibus pollet, dotibus cum summa omnium nostrum voluptate atque admiratione prædicaret? Est enim profecto hic ejusmodi campus, in quo rectè ac facile ingeniosi hominis & dñerti sese exerceat industria. Ego enim, etiamsi omnes ingenii mei intendam nervos, & si quæ possim, ornamenta verborum conqueriram, nunquam

ta-

tamen hujus tam nobilis tamque fœcundi  
argumenti dignitatem elegantiamque dicen-  
do exprimam. Dicam tamen, si vestra, Au-  
ditores, pace id fiat, quantumcunque bal-  
butiens proferre valuerit lingua. In cunctis  
autem præcipuum omnino locū suo quodam  
jure obtinet Principis nostri religio, rectumq;  
Dei cultum propagandi studium. Quia enim  
hanc præcipuum humanæ societatis vincu-  
lum esse novit, sine quo nulla res publica sal-  
va, nec ullus conatus esse potest; inter ceteras  
quibus pro publico egregio assiduè di-  
stinetur, curas, nihil ei prius est aut antiqui-  
us, quam ut vera religio in suis provinciis  
pura illibataque conservetur, nec ullis aut  
erroribus, aut corruptelis quoquo modo  
contaminetur. Quapropter prudentissimè  
nuper constituit, ut quotannis Slesvici pu-  
blicus Virorum divini humanique juris perito-  
rum habeatur conventus, ibique in sacra  
pariter ac mores hominum sollicitè inquirat-  
ur, & quæ sunt aliæ ejus sanctiones saluber-  
rimæ, quæ nemini vestrum ignotæ esse pos-  
sunt. Egregium verò Principem, & inter  
rarissima hujus sæculi decora referendum,  
qui in id incumbit totus, ut non corporibus  
solum,

solum, sed animis etiam, generosiori illi hominum parti, bene fit. Quis inde non certissimam capiat spem, rempublicam, quemadmodum tot aliis rebus facta est beatior, ita brevi hac quoq; parte beatiorem fore. Probe vero intelligit pro singulari illa, qua Deus O. M. heroicam Ejus mentem instruxit, sapientia, nec templa, nec forum, nec curiam, neque ullam denique publicæ vitæ partem literatis hominibus, sine magno omnium incommodo, & gravi communis salutis & felicitatis jactura posse carere, atq; adeo privatam qvoq; vitam maximas utilitates ab optimarum artium cultura capere. Quæ cum neq; conservari possint, neq; coli, neglectis aut spretis earum officinis, id est scholis regiis, quas Academias dicunt, eas sibi tuendas juvandasq; cumprimis statuit. Hinc dum ubiq; fere locorum ad arma, ad arma clament omnes, Noster flagrantissimo amplificandorum studiorum amore ductus, dignis beneque merentibus constituit præmia, necessariosq; suppeditari curat sumptus, quibus bona literæ & excolantur felicius, & majori deinceps splendore illustrentur. Nec pœnitere eum impensarum poterit, quæ infinitis erga singulos rependuntur commodis. Ut enim soli non decedit, qvæ dispensat in sidera; nec arbori, qvod in ramos; nec capiti, quod in membra; nec cordi, quod in venas: ita Illius ærario nil perit, nil decedit, dum ar-

F tes

tes illas alit, qvæ viros sibi patriæq; utiles for-  
mant, qvibus si impletur respublica, lucrari  
etiam ex illis poterit. Solius enim pruden-  
tiæ opus est, cumulare Pelopis talenta, Crassi  
pecunias, Crœsi thesauros: Et solus hanc di-  
tæscendi artem docere vel poterat, vel debe-  
bat Philosophus; sapientissimus autem Tha-  
les ipso exemplo docuit.

Ansam mihi præbet ulterius de beneficiis  
Tuis dicendi, ô Indulgentissime Princeps, hic  
dies, qvi Augusto auspicatoq; nomine Tuo in  
fastis fulget. Sed cum non adsint vires tan-  
tis rebus exponendis pares, malo eas tacito  
mentis affectu recolere, qvam longiori ac im-  
polito sermone prædicare. O verò diem læ-  
tum omniq; tempore celebrandum, qvo ejus  
nobis renovatur memoria, qvi præter cæte-  
ra beneficia & magnitudine insignia &  
numero plurima, aureas pacis dvitias Cimbriæ  
donando re ipsa abundè præsttit, qvod Ejus  
loquitur nomen. Qvis ergo miretur magnop-  
ere, si celeberrimo hoc lætissimoque tem-  
pore, qvod Hollatorum, qvotqvot sunt, om-  
nium ora in laudes, gratias & varia pietatis of-  
ficia laxare merito debet, hæc qvoq; Acad-  
emia sanctissimum ipsi & Musis FRIDERICI  
nomen anniversario nunc honore venera-  
tur. Fallor enim, aut coram perspicio vul-  
tus, qvi mera gaudia loquuntur: video, qvas  
flamas pectora ab illustri hac luce incensa a-  
lant, qvamq; faustis omnibus cuncti mihi fe-  
licem

licem ipsorum sub tanto Principe statum prædicanti applaudant læti & acclament. Et merito quidem hoc Musarum domicilium una cum universa Cimbria exsultat, cum tanta ei sub pacifici FRIDERICI regimine contigerit felicitas, qvantam vix voto optare posset meliorem. O felix Cimbria Tanto Principe, felix Princeps tanto populo! Utinam, atque ô utinam Illum præsentem complecti, vultumq; Ipsius majestatis plenum intueri coram & revereri nobis liceret. Ejus enim desiderii si redderemur compotes, qvantum putatis lætitiae nostræ, qntumvis maximæ, accessurum cumulum? Sed erro, si absentem dicam Principem, cujus præsentissima benignitas semper & ubique subiectis ipsi civibus adlîstit, cujus manus illos ab injuriis defendit, cujus oculi illis clementer prospicunt, cujus animus semper in civium animis est, & in cuius animo adeo illi sunt omnes, ut ab Ipso quasi à mente qvadam, qvam totam in toto corpore, & totam in qvalibet ejus parte hospitari sapientes ajunt, inspirentur, moveantur & agantur.

Idcirco cum ipsorum vita, salus & securitas à venerabili spiritu Tuo, ô FRIDERICE, dependeat, omnes Tibi vitam precantur, & de suis annis Tuis singuli addunt, quanquam Te immortalem potius optant, ita ut nunquam subtraharis mortalibus. Omnes non aliter se suosque salvos cupiunt, quam ut Te salvum videant, cujus salute se vivere credunt,

dunt, qui Te magis quam aërem spirant, idq;  
solum vivunt, quod Tecum sunt, vel coram,  
vel absentes per animi simulachrum. Ego  
autem quamvis humilimus gradu & censu  
plerisque impar, summa tamen benignitate  
Tua & clementiâ, quâ omnes sub Magni &  
Invictissimi Affinis Tui CAROLI XII. impe-  
rio degentes amplecti soles, fretus, ad Te,  
tanquam ad aram salutarem, configio, De-  
umque, quantâ animi pietate possum, oro at-  
que obsecro, ut Te, insigne ævi hujus de-  
cus ac ornamentum, non hoc solum die, sed  
posterioris quoque, qui sequentur, omnibus,  
auspicato FRIDERICI nomine refulgentib-  
us, & patriæ Tuæ, & Academiæ, &, si priva-  
ta publicis miscere fas est, mihi quoque sal-  
vum, florentem ac beatæ regnантem præstet!  
Nullum enim neq; majus neq; melius donari-  
um coram Celsitudine Tua die hoc tam festo  
tamq; solemnii deponere possum, quam sim-  
plex piuumq; votum, quo uno vota universa,  
bonorum omnium spes, & civium opes cumu-  
latissimè continentur. Sero scilicet nobis, no-  
strisq; longo ordine natis, nasciturisq; nota de-  
mum sit illa dies, quæ tam illustre depositū na-  
tali cœlo restituet. Vivas felix! vigeas sospes!  
floreas perpetuo, Princeps Optime Maxime,  
& in nunquam defuturis heredibus continua-  
es gloriam illam ac dotes, quas divinas pla-  
ne atq; admirabiles fama celebrat, ne desinant  
unquam, sed ad posteros quoque tuos  
**invidendo exemplo transferantur.**

PATRIBUS CIVIBUSQUE  
ACADEMICIS,  
JO. BURCHARDUS MAJUS,  
ELOQU. ET HIST. PROF. P.  
S. P. D.

Raftinus dies, qui in fastis nostris augusto FRIDERICI nomini dicatus est, merito nobis memoriam renovat beneficiorum, à Serenissimo Principe Nostro FRIDERICO in hanc Academiam pariter & universem Cimbriam ubertim collatorum. Nam cui non est notum ex historiis, quædam nomina Regum Principumque familiis interdum prospera, alia ex adverso minus prospera existit. In cuius rei testimonium ut unum alterumque hic proferamus exemplum, nullum fere legimus Philippum, qui fata habuerit ex omni parte felicia, præter Philippum Augustum Regem Galliarum, & Philippum Caroli Burgundi Bellatoris patrem, quem tamen maxima & plura bella suanno cum labore gestisse constat. Unde apud plerosque recepta est sententia, nullum magnum Principem vocari debere Philippum. Parim modo Hispani Juliani nomen infaustum, Ferdinandi vero faustum fuisse, facile deprehendet, qui illorum annales pervolvit. Ad Galliam si respicimus, hac sius Ludovicos in celum laudibus extollit, Henricos autem ob tragicos illorum exitus infortunatos habet, plane ut veteres Franci infelices quondam experti sunt Childericos, Syri Seleucos; Graeci Constantinopolitano imperio subiecti Michaëles, Alexios, Nicephoros & Baldinios; Poloni Cafimiros; Angli Richardos; Scotti Jacobos, & Siculi Guilielmos, quos tamen Auriaci & Badenses pro auspiciis reputant. Suedi contra non sine causa predicant Gustavos, cum iisdemque Germani ac alii populi sius perpetuo jaētant Carolos, tanquam præcipua quadam virtutum ac felicitatis gloria notabiles, factenturque etiam Galli, se sub eorundem regimine atque auspiciis fuisse felicissimos, & eximiis rebus gestis immortalem sibi famam peperisse. Porro de antiquis Romanorum Imperatoribus jam dum est observatum ab historicis, vix unum alterumve repertum fuisse Scipionem, Silanum vel Marium, quem non trifissima sors aut preferit vehementer, aut plane opprefserit. De Cesariibus Augustis quoque traditur, omnes, quibus Caji pronomen fuit, ferro periisse,

G

riſſe, de récentioribus vero, iisque Germanis, plerosq; eorum, qui vocati sunt Ottones, miseranda morte fuisse extintos. Nec minus inter Pontifices fatalia habita sunt nomina Eugeniorum, Marcellorum & Bonifaciorum, quorum in serie tertium recte utique cum Lutherio nostro appellare liceret Malefacium. Autri denique, ut reliqua regna atque provincias perquam multas nunc taceamus, undecim numerant Leopoldos, quorum nomen ipsi semper salutare, & hodie quoque Germaniae ac Imperio univerſo felix omnino est ac fortunatum. Nec minora sub Fridericis, fatali illo Principum magnorum nomine, incrementa cepit eadem nostra Germania, Saxonia, Austria, Sileſia, Stirps Palatina, Brandenburgica, Hassiaca, Guelfica, Badensis, Würtembergica, Naſſovica, Auracula, quin Dania quoque, atque inter vetera regna Sicilia. Nimis prolixum fortassis foret, si ad remotores etiam gentes, Orientales in primis & barbaras, adire vellemus, & recensere, quinam idem apud illas nomen vel paulo inflexum, vel vernacula ipsarum lingua expessum gesserint. Occurrerent enim nobis præter ceteros memorandi Salomon Hebraeorum & Perſarum; Solymannus Turcarum; Sulzianus Mauitanorum; Fridlevus, Fridigernus, Fridimannus, Fridebalodus, itemque Manfredus, Walfridus, Warnefridus & Sigfridus, five Seyfridus Gothorum & Longobardorum; pariterque Freji; Froi vel Froeri Suecorum, apud quos præ ceteris Sivardus II. & Brautamundus tanquam pacis tranquillitatisq; publicæ amantissimi Reges, peculiariter hoc cognomine fuerunt insigniti. Non est autem, quod hi ac alii tantopere gloriarentur de suis Fridericis, cum longe major iustiorque cauſa sit, cur eam laudem, tanquam sue genti propriam, vendicare sibi possint Cimbri, qui & ipsi de suis Fridericis, illuſtribus facinoribus quam maxime conspicuiſ, impense, nec immérito sibi grataluntur. Multa hic sane commemorari possent vetera hujus nominis apud Noſtrates Principes decora, niſi illa omnia concurrent in Noſtri Principis FRIDERICI IV. titulis. Quorum amplitudine ac splendore permotus CAROLUS JOHANNES SIGINTIUS, Vemannia-Suecus, Juvenis & elegantiā ingenii, & morum doctrinæque præstantia nobilissimus, de hujus FRIDERICI Noſtri laudibus atque virtutibus plane heroicis Orationem brevem, sed concinnam & pietatis reverentiæque plenam domi conscripsit. Hanc cuin cras, Deo volente, hora ante meridiem X. in Auditorio majori publice solemniterque recitaturus sit, ad eam benevoli audiendam Parres Civesque Academicos, omnesque omnium ordinum literatos, excelsissimas tanti Principis dores digne nobiscum aestimantes, eā, quā par est, observantia ac humanitate invitamus. Quod ut pluribus verbis faciamus, minime videatur opus, cum unumquemque pacifici FRIDERICI nomen offici ſui ultro admoneat, ut ad celebranda lati festaque, quem diximus, diei solemnia concurrat sponte & festinet. P. P. ad d. IV. Martii Anni cl. loccl.

F. 10

Erolockender Zuruff /  
Auff Tho Hoch-Furstl. Durchl.

## Hohen Wahmens-Tag

Bey öffentlich gehaltener

Lob-Rede

abgesungen.

Auff! Holstein auff! bey dem gewehnten Tag/  
Den man nach deiner Sonnen nennet /  
Verschaffe/das die Flammelodern mag/  
Die in der Brust von deinen Kindern brennet;  
Läß den Altar bey dir nicht ledig seyn/  
Die Treuelan den reinsten Weyranch streuen/  
Der Himmel blaßt dir selbst die Funcken ein/  
Und läßt sein Licht mit Friedrichs Schein verneuen/  
Drum wünsche was nur wünschen kan /  
Und stimme dieses Danclick an:  
Grosser Friedrich dein Bemühen sey mit so viel Glück belegt/  
Als die Erde schwarze Körner und der Himmel Sternen hegt.

Auff! Holstein auff! es schenkt dein Zapfres Haupt  
Dir süße Ruh und neues Leben :  
Wann wieder dich das Glück am stärksten schnaubt /  
Weiß dieser ihm sein Nasen bald zu heben.  
Wann gleich das Blut schon in den Furchen sieht/  
Und Waffeni dem schwangeren Felde drauet /  
So schafft es doch/das wann's zur Erndte geht /  
Man Übersluß von deinen Feldern mehet.  
Drum wünsche was nur wünschen kan /  
Und stimme dieses Danclick an :  
Grosser Friedrich dein Bemühen sey mit so viel Glück belegt/  
Als die Erde schwarze Körner und der Himmel Sternen hegt.


3. Ihr

3.

Ihr Tapferen auf! komme edle Krieges-Schaar/  
Die Friedrichs starker Arm geföhret/  
Und reich ihm selbst die schöne Krohne dar/  
Die deinem Held von Mavors Faust gebühret/  
Wo Hannibal und Alexander steh'n/  
Da wird auch IHR die Nachwelt euregistern /  
Die Nessel wird noch vor der Lilien geh'n/  
Weil man ihr Blatt mit Palmen sieht verschwistern.  
Drum wünsche was nur wünschen kan /  
Und stimme dieses Danc'lied an :  
Grosser Friedrich dein Bemühen sey mit so viel Glück belegt/  
Als die Erdeschwarze Körner und der Himmel Sternen hegt.

4.

Ihr Musen auf! schaut euren Pegasus/  
Der euch die Silber-Wellen schenket.  
Aus Friedrichs Kunst fließt aller Überfluss/  
Der euren Durst mit reichen Fluthen fränket.  
Ihr werdet nicht durch Wind und Sturm erschreckt/  
Wann Blitz und Kiel auf euren Windum wittern :  
Weil Friedrich euch mit seinen Lorbern deckt /  
So dürft ihr nicht vor Donner-Schlägen zittern.  
Drum wünsche was nur wünschen kan /  
Und stimme dieses Danc'lied an :  
Grosser Friedrich dein Bemühen sey mit so viel Glück belegt/  
Als die Erdeschwarze Körner und der Himmel Sternen hegt.



W.C.

**S**CHÖN Adem man FRIGDORIUS lob hört  
zu den sterren dringen/  
Durch deinen Kiel erhöht/  
Sieht man das deine sich auf Samen flie-  
gen schwingen/  
Bis wo Bootes steht.  
Dein Epheu schlinget sich um seine Lorberäste  
Und steigt beherzt empor.  
Ihr/ die der Weisheit \* Tisch nennt seine liebsten gäste/  
Leicht ihm ein gönfig Ohr!  
\* Sprüche Sal. 9. v. 2.

Dem HErrn Lobredenden zu ehren  
begefest von

B. G. S. D. P. P.

*AD POLITISSIMUM JUVENEM*

## CAROLUM JOH. SIGTUNIUM JO. BURCHARDUS MAJUS, ELOQU. ET HIST. PROF. P.

**N**atales Illustrium virorum dies, eorumque  
nomine in fastis insignitos , anniversario  
honore celebrare ,ut vetus est religio, om-  
niumque cultiorum gentium consuetudine ap-  
probata ; ita dignum laude Tuum est institutum,  
quod cum liberali ingenio styloque exercendo,  
tum erga Optimum Principem nostrum FRIDE-  
RICUM declarandae pietati sumfisti argumen-  
tum, de quo nuperrime inter medios applauden-

H. DCCXVII. tium.

tiū ordines facundè admodum differuisti. Et quid rectius meliusque fieri abs Te poterat, quam ubi Principem prædicabas talem, in quo summae virtutes undiquaque sunt conspicuæ? Testis universa est Cimbria, suum, à quo regitur, FRIDERICUM, eum omnino esse, cuius indies crescit sublimitas, dum magnum illius animum justitia & clementia, hancque cumprimis indefessus labor & pro civium suorum salute cura, cum singulari constantia conjuncta, nunquam non demonstrant. Etenim nihil magis dat operam, quam ut suæ regiones opibus firmæ, copiis locupletes, gloria amplæ, literis claræ, virtutibus deniq; honestæ sint. Quod cum publicè solemniterq; coram doctissimorum virorum confessu celebraveris, quis hunc ipsum conatum Tuum non probandum censeat? cumque hoc pacto exsolveris id, quod Tua Te monuit pietas, & in Principem observantia, quis tenue illud officium arbitretur, quod serio affectu atque humilimo cultu peractum est? Ego certe de hoc egregio industriae Tuæ specimine impense Tibi gratulor, sponsorque sum certissimus, si pergas quotidie in utilissimo hoc studiorum genere, semperque procedas longius, fore brevi, ut non tantum maiorem consequaris gloriam, sed & pleno gradu ad metam pervenias. Quam ut attingendam Tibi proponas rectè, per bonarum literarum ornamenta hortor, & ut tandem attingas feliciter, ex animo opto atque precor. Kilonii è museo postrid. Kal. April an. MDCCI.

Nobi-

*Nobilissimo Doctissimoque Juveni*  
**CAROLO JOHANNI SIGTUNIO,**  
*de landibus Sereniss. Principis Nostratis*  
**FRIDERICI IV.**  
die augusto FRIDERICI nomini in fastis  
sacro solemniter oranti.

**N**omina portendunt sortem non rara futuram  
Principis, & mores ingeniumq; notant:  
FRIDERICI nomen dudum super æthera notum  
In fastis spectat. Cimbria læta suis.  
Omnibus hoc præfert, & cœlo laudibus æquat,  
Et nimium felix Pacificumque vocat.  
Hoc te, SIGTUNI, præconia publica poscit;  
Et te non patitur festa filere dies.  
Fortunata dies Cimbrorum digna quotannis  
Solemni plausu, carminibusque cani.  
Hanc tacuisse nefas: præ solibus omnibus unam  
Hanc merito lætus cernere Phœbus amat.  
O semper melior semperque serenor adsit  
Candidiorque Duci, candidiorque tibi!  
Et longum vita Dux, & tu Principe possis  
Fortunaque diu prosperiore frui.

SEBASTIANUS KORTHOLT, P.P.

Dtr

Der Durchlauchtigste Fürst und Herr,  
F R I D E R I C H der G i e r t e  
Von Gottes Gnaden / Erbe zu Norwegen / regierender  
Herzog zu Schleswig / Holstein / Stormarn und der Dith-  
marsen / Grafe zu Oldenburg und Dellemhorst. &c. &c.  
Die Durchlauchtigste Princesinn und Frau/  
H E D E W I G S O P H I A,

Gebohrne Königliche Erb-Princesinn aus Schweden/  
der Gothen und Wenden / vermählte Herzoginn zu Schles-  
wich-Holstein / der Stormarn und Dithmarsen &c. &c.

Durch Reine Verschzung der Buchstaben:

**N** In ew'ger Held'e Preis wird auch dies DREI vergöttern  
Sein Lorber / Zeldein-gleich / grünt frei von rauhen  
Vettern.  
**D**U / groser Tugend-Bierd / und guldne Prinzen-Flamm /  
Die dort von Noordscher Kroon glor-reichen Uhrsprung  
nahm:  
Last doch zu Zimberns Heil / der Städ't ihr schraches Wesen  
Durch EURE Landes-Sorg / und hohen RUHM genesen!  
Welch Herschen iss's / so RUHM zur grauen Nachwelt findet?  
Das auff BEZAENDIGEZE und AR  
BEZE sich gegründt.

A. G. R.



Pon Ye 3656  
20

ULB Halle  
001 500 848

56.  
D

anew

VON 17

1018 912



38

# ORATIO IN LAUDEM FRIDERICIV. SUPREMI DU VICEN DUCIS HOLSAT

Die V. Mar  
qui Augusto Ejus N  
facer e  
recitata

IN ACADEMIA K  
ANNO MDCC

CAROLO JOHANNES  
Vesmannia-Sve

KILONI  
Literis BARTHOLDI REUTERI

